

PROBLEMA THEOLOGICVM.

De quo

DEO AVSPICE,

D. AND. MELVINO Theologicæ Facultatis
DECANO, *Præside,*

M. THOMAS LONDIVS publicè respondebit in Scholis Theologicis Acad. Andreanæ.

Ad diem XXIIX Iulii.



Excudebat ROBERTVS WALDE-GRAVE
Typographus Regius, cIↃ IↃ cII.

ILLVSTRI ET GENEROSO
DOMINO,
DN. IOHANNI LYNDESIO,
LYNDESII REGVLO, BARO-
NI à BYRRIS, & STRVTHER &c.

PATRONO ET MOECENATI
optimè de se merito,

Gratitudinis & debitæ obseruantiæ
ergó

PROBLEMA HOC THEOLOGICVM
DE
ANTICHRISTO ROMANO,

M. THOMAS LONDIVS

D. D. C. Q.





Vtrum Episcopus Romanus *sit Antichristus necne?*

I.



Vius problematis duo sunt termini, vterque ambiguus: idcirco discutienda priùs vocum ambiguitas quàm ad quæstionem veniamus.

II *Episcopus non vno modo dicitur: nec etiam Antichristus. Episcopatus, de quo nunc agitur, est præfectura Ecclesiastica, non legalis, sed Evangelica.* (a) *Estque Iustus aut Iniustus.*

(a) Act. 20. 28.

III *Iustus, qui & diuinus ab ipso Deo, (cuius voluntas est iustitiæ norma* (a) *institutus.* (b) *Estque vel principalis vel ministerialis.*

(a) Rom. 12. (b) 1. Tim. 3. Tit. 1. 5. 7.

IV *Principalis est Christi* (a) *solius, qui vnus & solus est* ἀρχιποίμην (b) *gregis sui: & regni cælestis, id est, Ecclesiæ, Monarcha.* (c)

(a) 1. Pet. 2. 25 (b) 1. Pet. 5. 4. (c) 1. Cor. 8. 6.

V. *Ministerialis est ministrorum Christi. Isque vel extraordinarius; qualis fuit, exempli causâ, Apostolorum Episcopatus:* (a) *Vel ordinarius; qualis est Pastorum qui & Presbyteri vocantur,* (b) *Episcopatus: quorum conventus Presbyterium;* (c) *penes quod est ordinarium Ecclesiæ regimen.*

(a) Act. 1. 20. (b) Act. 20. 17 Tit. 1. 5. (c) 1. Tim. 4. 14.

VI *Ordinarius Episcopatus, qui & iustus & diuinus est, vt diximus, relationem habet ad gregem & populum Christianum, id est, ad singularem* (a) *Ecclesiam, cui præest. Sic*

(a) Act. 14. 23

(b) Phil. 1.1. & Episcopus, qui cum aliis συνεπισκόποις (b) siue συμπρεσβυτέροις in cōmune Ecclesiam regit: estque gregis sui Episcopus & plebis Christianæ pastor; quem vulgo Ministrum dicimus: quem & ciuili potestati subijcit Apostolus ad Roman. 13.

VII *Iniustus verò Episcopatus, est qui præter vel contra Dei verbum in Ecclesiam introductus est. Estque, vt nunc loqui cogimur, Humanus, & Satanicus: quanquam nihil humanum in Dei cultu, quod non etiam Satanicum.*

IIX *Humanus, in quem diuinus degenerauit ex humana infirmitate & prudentia, extitit præter Dei verbum; certis tamen canonibus aduersus tyrannidem circumseptus. Estque potestas, vni alicui ex presbyterio pastori supra cæteros collegas, cum Episcopi nomine, quod cæteris commune fuit, peculiariter, sed humanitus attributa: quæ ambitioni primùm fores aperuit: & relationem habet ad συνεπισκόπους siue συμπρεσβυτέρους & collegas, in quos aliquam habet sed limitatam potestatem: quorum respectu Episcopus nominari cœpit humanitus.*

IX *Satanicus verò Episcopatus, est is in quem humanus Episcopatus, auctore Satana, paulatim corruptus degenerauit: qui suis gradibus distinctus, relationem habet pro distinctionis gradu, superior ad inferiorem, cuius respectu Episcopus dicitur, aut Archiepiscopus, aut Metropolitanus, aut Patriarcha, aut vniuersalis Episcopus.*

X *Estque vel tantùm Hierarchicus, vel etiam Hierarchicopoliticus.*

XI *Hierarchicus tantùm, est qui suis, thronorum & sediū gradibus distinctus, non superstitionem modò et tyrānidem spiritualem, sed etiam Imaginum & Angelorum religiosum cultum, in Ecclesiam inuexit, contra expressum Dei verbum*

bum, & Pauli, & Petri interdictum.

XII *Hoc Episcoporum genus, paulatim se á presbyteris separauit: ac tandem presbyteria prorsus sustulit: totamque administratione Ecclesiasticam, ac imprimis Electionum, Depositionum, Excommunicationum iura Ecclesijs erepta, sibi & suis nescio quibus officialibus vendicauit.*

XIII *Hierarchicopoliticus, qui cum Episcopatu Hierarchico, id est, spirituali tyrannide temporalem dominatū inuasit, manifestè contra Christi & Pauli interdictum atque exemplum: & coniuncto vel confuso potiùs in persona vnius utroque gladio, libidinem & luxum inexplebili auaritia & superba crudelitate cumulauit:* τοῖς δὲ βιωτικοῖς *& Reip. negotijs non solùm interesse, sed etiam praeesse, contra expressam Apostoli prohibitionem voluit. Vsibus sacris dicata, in luxu & pompa contra conscientiam & omnem pudorem consumit. Sp. S. certis locis & personis alligat. Denique thronorum & graduum distinctione secundum Imperij Romani notitiam, imaginem Bestiae Apocalypticae repraesentat.* 2. Tim. 2. 1. Cor. 6. Anacletus.

Atque hæc de Episcopatu & Episcopo.

XIV *Restat nomen Antichristi, quod in Scripturis nunc laxa notione accipitur, pro quouis aduersario Christi: quemadmodum.* 1. *Ioh. c.* 2. *(nūc Antichristi multi sunt·) nunc angustè & propriè pro illo summo Antichristo, qui in tota Religione Regnoque Christi, ipsum Christum, sub Christi professione, oppugnat. Ibidem.* 2. *Thess.* 2.

XV *Hic ergo quaerimus, non de illis minutis multisque Antichristis: sed de illo eximio* Antichristo, *cuius illi anteambulones exstiterunt.*

XVI Antichristus *hic, non thronus, non regnum, aut sedes propriè est: sed persona singularis, numero quidem semper vna ordinariè, sed repraesentatione iuris varians, ad cōtinua-*

 tionem

tionem ordinis: quemadmodum in regno ordinario Rex vnus ſemper eſt numero, ſed repræſentatione varians.

XVII Sic explicata vocum multiplicitate, ad quæſtionem reſpondemus: Romanum Epiſcopum, non diuinum illum primæuæ Eccleſiæ, aut ſola humana infirmitate errabundum; quāuis hic & gradum fecerit & viam munierit futuro Antichriſto: ſed Satanicum, maximè verò Hierarchicopoliticum quippe vtriuſque gladij vſurpatorem & vibratorem, quem Romanum Pontificem indigitamus, eſſe illum eximium Antichriſtum.

XIIX Nam de Antichriſto Scriptura tradidit, quicquid de Antichriſto Eccleſia ſcire debuit. Cuicunque ergo conueniunt ea omnia quæ de Antichriſto in Scriptura tradūtur, is eſt ille eximius Antichriſtus: At Epiſcopo Romano Hierarchicopolitico conueniūt omnia quæ de Antichriſto in Scripturis traduntur. Ergò Epiſcopus Romanus Hierarchicopoliticus eſt ipſe Antichriſtus. Propoſitio luce ſuâ & Scripturæ authoritate manifeſta eſt. Aſſumptio locorum Scripturæ & ſignorum inductione, & cum hiſtoria & experientia collatione comprobatur. Verùm quia longum iter ad omnia, nos multa paucis, longa breuibus complectemur, & argumentorum maximè illuſtrium quaſi faſtigia carptim libabimus.

Pontifex Rom. neque eſt Petri ſucceſſor, neque Chriſti vicarius, neque verus Epiſcopus: ſed Petri ſubſeſſor, ſed Chriſti ſicarius, ſed Antichriſtus & verè eſt, & ab omnibus verè Chriſtianis habendus & appellandus.

1 Petrus neque Romanus Epiſcopus, neque ciuis aut incola Romanus ad aliquot annos fuit.

2 Petrus neque vicarius Chriſti, neque Eccleſiæ Monarcha aut miniſteriale Caput vnquam fuit.

3 Nec ſi fuiſſet, quidquam iuris in Papam Rom. tranſtu-

ſtu-

stulisset, aut transferre potuisset, eius quod ipsi personale fuisset.

4 *Papismus, est monstrum ex Gentilismi & Iudaismi colluuie & omnium ferè hæresium & schismatum fæcibus conferruminatum.*

5 *Papa Rom. est Apostasiæ Caput: Apostasiam in Ecclesiam inuexit.*

6 *Papa Rom. se Christo in doctrina, in disciplina, in vita ac moribus opponit.*

7 *Papa Rom. se effert supra omnem qui dicitur Deus aut* (a) *σέβασμα.* (a) 2. Thes. 2. 4.

8 *Papa Rom. sedem vsurpat in Templo Dei.* (a) (a) 2. Thes. 2. 4.

9 *Papa Rom. sese ostentat esse Deum.* (a) (a) Ibidem.

10 *Papa Rom. sublata simplicitate Euangelica; & euerso Romano Italico imperio,* (a) *tyrannidem spiritualem, efrani dominatu ciuili accumulauit.* (a) 2. Thes. 2. 6. 7.

11 *Papa Rom. statim post Christi ascensum in suis præcursoribus grassari cœpit.* (a) (a) 2. Thes. 2. 7.

12 *Papa Rom. ad mundi finem duraturus est.* (a) (a) 2. Thes. 2. 8.

13 *Papa Rom. Satanam συνεργὸν habet:* (a) *& præter fictitia miracula, & signa & prodigia quæ iactat,* (b) *à Siluestro.* 2. *ad Gregorium.* 7. *inclusiuè, cum alijs postea multis, quisque fuit magus, & necromantes, & artibus nefarijs & præstigijs Diabolicis Pontificatum est adeptus.* (a) 2. Thes. 2. 9. (b) Ibidem. et. Apoc. 13. 14.

14 *Papa Rom. se Agni similem fingit, loquitur tamen vt Draco.* (a) (a) Ap. 13. 11

15 *Papa Rom. Bestia altera* (a) *bestiæ prioris imaginem instaurat.* (b) (a) Ap. 13. 11. (b) Ap. 13. 14. 15.

16 *Charagma frontibus suorum & dextris imprimit.* (a) (a) Ap. 13. 16

17 *Omni modo Latinus est.* P. P. R. P. P. R.

 18 *Ro-*

(a) Ap. 17. 5.
(b) Apoc. 17. 7. 9.
(c) Ap. 17. 18.

18 *Romam, in mysterio Babylonem, (a) urbem septicipitem & septicollem, (b) urbem illam magnam quæ habuit regnum, dum scriberetur Apocalypsis, super reges terræ (c) occupat.*

(a) Ap. 17. 4.
(b) Ap. 17. 2.

19 *Est illa purpurata & inaurata meretrix, (a) quæ vino scortationis suæ Reges terræ & incolas inebriauit.* (b)

20 *Denique omnes Antichristi notas à Sp. S. in Scripturis accuratissimè descriptas habet.*

Concludimus ergo Romanum Pontificem neque Petri successorem, neque Christi vicarium, neque verum Episcopũ esse, sed Petri subsessorem, sed Christi sicarium, sed Antichristũ & verè esse, & ab omnibus verè Christianis habendum & appellandum esse.

Regina virgo, sponsa Regis immensi,
Intacta quondam, pura cœlitum consors,
Nunc triplicis admirata Belluæ cristas,
Horret cruenti contumaciam vultus;
Seseque fucis obsitam meretricis
Abominata, spurca se nec agnoscit.

FINIS.